

guttis aureis Sapphiri modo eam distinctā esse tradit. qualis, inquit, copiosissima est in Creta, sacra appellata.

Thyrfitis Corallio similis est, Camillus Leonardus sine authore.

Alcyonij genus aliqui putant esse, spongiosum aut potius fistulosum quiddam, corallij rubri colore. paralleli enim & recti sunt meatus, seu canaliculi, inanes, internodijs quibusdam distincti: quæ dum inter se coalescunt, superficies aliquot per intervalla constituunt. Dentibus facile fragile hoc genus est, insipidum ferè, sub falsum. Hoc quidam puto Alcyonium petræum vocant. lapidea enim ei substantia est. Petris quidem an inascatur haud scio.

*DE ALIIS QVIBVSDAM
plantis Marinis quæ lapidescunt.*

Caput XI.

INter plantas quæ in mari, aut maritimis locis, saxis, testis, aut alijs, na-